

Vulnus idem clades nova: vah! clarissimus ille
Ingenio, meritis, Doctrina, & munere linguae
LOBECHIUS, rosei lumenq; decusq; Lycei
Præpropero cedit letho Rosea urberelicta.

O si perpetuis mea stillent lumina guttis,
Queis majus verbis atq; irreparabile damnum
Dignè deplem! Lacrymis Ecclesia nostris
Varnias adde tuas: Tuq; ô Academia luge
Præsidium orba tuum, gemitu testante dolorem,

Sed quid currentes magis incito? lesibus ultrò
Cuncta domus squalet: nullis sibi temperat unda
Tristis luminibus: juvenes, vir, fæmina, Docti
Indoctiq; virum fient. Quin subsellia; luctu
Multa madent tristi minitantiâ sede ruinam,
Nempè recordantur, quo sint decorata nitore,
Rumperetis quoties sermone silentia Doctor.

O meritas lacrymas, ô dignam flumine cladem
Luctifico, & summum qui personet æthera, lessu!
Vos carbone dies nigro signate Poëtæ,
Talia qui nobis extinguunt lumina tristes,
Vestris LOBECHII; famamq; intexite scriptis.
Ipse querar cladem tantam dum vita superstes
Indulget lacrymam, hæc monumentaq; pono doloris,
Qualia CHYTRÆO: cujus tamen exitus isto
Flebilius minus est, quantò maturior annis
Exijt: Hic vegetus florentiq; integer ævo
Occumbit: scriptis involverat ille labores
Ante salutare, quam vita cederet: iste
Eusebiæ quando placitura volumina condit;
Quorum pauca quidem, sed habent doctissima lucem.
Quò feror; heu luctus quo me rapis? arida venam
Quam natura negat, facilem facis atq; disertam.

G 3.

Verum